

rum pedibus subjicit. Eâ non instructus medicus Palladis portus nec aperire, nec ingredi, multò minùs ad splendidum υγιείας solium accedere, & verus morborum triumphator existere potest.

Difficilis causarum doctrina est & intricata earum investigatio, scrutanda tamen harum progenies.

CAUSA IMMEDIATA seu συστασις illa, quæ calorem hunc καυσωδέστατον in corde & vasis excitat, est putrida, ex veteri decretò, quædam substantia vaporosa vel humorosa, quæ sensim & sensim quidem generatur, subitò autem dùm erumpit, causum excitat. Αἱ δὲ νέουσι γίνονται, ἀθρόως παραγζύνονται, morbi sensim generantur, subitò & confestim adoriuntur.

Recentiorum suffragio causa proxima cujusque febris, ita & ardentis, est CALOR cordis præter naturam. Hic generationis primordia capit, cùm calor naturalis de suâ temperie sensim discedens, igneus, naturæque gravis fit & molestus. Accidit autem τροπή τῆς ἐμφύτης θερμότητος ἐπὶ τὸ πυρῶδες, juxta Galenum 1. apb. 14.

MEDIATA CAUSA PROXIMA secundùm essentiam considerata consistit in materiâ corpulentâ, quam constituunt HUMORES, qui sunt vel alimentales, vel excrementitii naturales & præternaturales.

ALIMENTALES inter sanguis primas tenet.

SANGUIS dùm εἰωθυίαν σύστασιν habet, complectitur quatuor humores, qui συγγεγονότα dicuntur, quòd parem vim ad generationem corporis habeant. Quamdiu in suâ naturali constitutione est, suasque debitas habet ῥοπὰς, inclinationes, motiones, omnia benè habent: dùm verò ab hâc συστάσει καὶ ῥοπῇ solitâ compage seu motione dimovetur, à putridis exhalationibus & vitiosis humoribus ἐπιρροαὶ αἱ δὲ χυμῶν τίκτασι κινήσεις ἐκ τῆς εἰωθυίας συστάσεως, influxiones hæ humorum pariunt ex consuetâ statione & compage in sanguine emotiones, tunc incalescit, διαρπίζεται, ferescit, alius fit à priori, alteratur, imò nonnunquàm alienatur.

Alienatio & alteratio hæc fiunt à materiâ corpulentâ excrementitiâ naturali & præternaturali.

NATURALIS intra limites servata nihil portendit. PRÆ-  
TERNA-